tionem. Etsi n. omnia hæc peculiarem, amplamque
laudandi messem oratori cuilibet subministrent;
tamen, quia eadem multis tecum communia sunt, minus
videntur commendationi opportuna, vel si non communia,
saltem aliis maximis, si cum iis conferantur, certò
posthabenda. Aggratulamur igitur Sacratissimam
hanc Natalitiam lucem gloriosissimam tibi, iucundissimam
Angelis, nobis saluberrimam, exultamus inquam, quia
Ancillam humilem respexit Deus, per illam omnium in te
felicissimam virtutem, propter quam te nunc Beatam
dicunt omnes generationes, propter eximiam tuam, et incre-
dibilem humilitatem. Non quia virginitatis candore
dealbata, licet modo singularissimo, inaudito, et plusquam
angelico; non quia Deo tota unita, et absorpta undique
incendio amoris divini ardentissimo. Non quia prudentissima,
aut sapientissima, licet habitu mirabili, ac perfectissimo;
non quia patientissima, quia temperantissima, non denique
quia omnium virtutum laude, sanctitatis totius decore, bonorum
omnium plenitudine universis spectanda fuisti; sed
quia humilitatis prædita bono optima semper fuisti,
quia Ancilla humilis, et verè parvula in te, et per
te extitisti: per te verè parvula, quia per te nihil
fieri humiliter agnoscebas: in te parvula, quia ô virgo